

Carmina in nuptias,
viri-juvenis clarissimi &
doctissimi, dn. Mag.
Isaaci F...

1 Ic 1669 Florini, Isaaci



National Library
of Sweden

CARMINA

In nuptias,

VIRI-JUVENIS *Clarissimi & Doctissimi,*

Dn. Mag. ISAACI FLORINI,

SPONSI:

Nec non

VIRGINIS *Castissimæ Honestissimæq;*

ELIZABETHÆ A. PAC-
CHALENIÆ,

In Finlandiâ Boreali, Bothniâ atq; Alandiâ, ante
hac, Vice judicis Provincialis æquissimi,

Dn. ANDRÆ M. PACCHALENII,

Filiæ dilectissimæ,

SPONSÆ!

*Quæ in Præsentiâ Nobilium, Consultissimorum Reve-
rendorum spectatissimorum, præstantissimorumq;
hominum, celebrabantur in Kuddarla/ die
24. Martij, Anno 1669.*

A B O Æ,

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.



1669



Upta tibi fuerat nuper speciosa Sophia:
Inq̄ suis thalamis Te cupit esse diu.
At modo fama tulit FLORINUM velle se-
Associare sibi conjugio stabili. (cundā
Indignata refert prior hac; dissungimur ergo,
Vel duplici modo vis Tu recubare toro.

Risit ad hac Pallas: junctus tamen esse Sophia:
FLORINUS studijs, vult, ait ipsa, bonis.
Quæ superinducta est, cujus nunc carpitur ignes,
Partito alternis debet amore frui.

Dixerat: exultant decima cum Pallade Musæ:
Atq̄ novis thalamis carmina leta canunt.
Sponse diu vivas, casta cum conjugē: quæ nunc
ELIZABETHA venus, sive Sophia fiet.
Sive placet junctas amplectier: utraq̄ amore
Lata tuo maneat. Vive, valeq̄ diu!

In honorem felicitis conju-
gij lusit obiter

MARTINUS MILTOPÆUS
El. Prof. Publ.

FLOS Veneris, FLORINE, Tibi nūc ducitur uxor,
Et subit amplexus ELIZABETHA TUOS
Sponsa petita suo PACHALENIA nubit ISACO,
Ad votum Sponso par data Sponsa pari
Si

Sit procul Aleſto tetricis torquata colubris;
Avertat mæſtum devia carmen Avis.
Totaq; Tiſi phœ thalamis removebere ab illis;
Sitq; ſalutiferâ lux decorata face.
Abſit Eris perulans & amaræ prælia linguæ,
Omnia convenient, ſemper & adſit Eros.
Quam benè rara ſuo miſcentur cinnama nardo;
Tam benè nupta Tibi congruat illa viro!
Nec ſe plus teneris oblectent vitibus ulmi,
Nec dilecta magis littora myrtus amet,
Candida fœcūdum decoret concordia lectum,
Et læto ſemper fit Venus æqua jugo!

*In felix novi conjugij au-
ſpicium ſcribebat*

HENRICUS H. BLANCK
Aboenſis.

Nescio quâ ſocialis amor dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.
Jam vicibus quinſ reparârat cornua luna;
Ipſe Ingreſſus eram cum ſacra jura thori;
Tunc Hymenæa mihi (memini bene) clare MAGIſTER,
Carmina pangebâs, omnia fauſta vovens.
Carminis ad Gamici poſita eſt hæc clauſula finem;
I prior Exemplo, mox ſequar ipſe, Tuo:

A 2

Nunc

*Nunc rata sunt promissa; factum cum virginis pulchræ.
Auspicijs Christi, foedus inire paras.
Ergo mihi quod Tu calido de corde precatus
Es, Tibi de calido pectore idem vovéo.*

ERICUS E. STODIUS.
Aboënsis.

PRima creatori, post facta exordia mundi,
Cura fuit, mundus quò conservabilis esset,
Nexibus ut socijs animantia cuncta coirent.
Ex costâ Adami formatam protinus Evam
Connubio junxit stabili propriamq; dicavit
Adamo: Exemplo reliquis sic ipse præiret.
Jussit quisq; sibi fidam castamq; Maritam,
Quæreret & dulci vinclo cum conjugè conjux
Viveret, educens gnatos, pietate parentem
Qui referat; genus hinc sereret mundumq; re-
Quæ magni fecit celsi mandata Jehovah, (pleret
Florinâ natus pulchrâ de stirpe **MAGISTER,**
ISAACUS, sociâ vitæ sine degere nolens;
Cui placuit pulchram lustrare piamq; catervam
Nympharum unde foret sibi quæ pulcherri-
ma visa
Jungeret. Et simul ut voluit, (sic fata ferebant)
Talibus idcirco verbis compellat jovam.:

Sellas, sic capitis cunctas hæc vincit honore.
Tam vivus micat ore nitor tam lumina splēdēt
Sic roseis stat forma genis, sic frontis honoræ,
Fulget apex, tales accendunt lumina flammæ.
Atq; habet ingenuo cunctas in pectore dotes
Virgo quibus laudem quævis morata meretur
Exulta toto nunc ergo pectore, sponse!
Munus habes etenim, gemmas quod vincit &
aurum.

Mittēdus tibi corde dolor nunc est quoq; spōsa,
Est tibi namq; datus Vir nomine clarus & arte.
Vobis ambob⁹ nunc prospera quæq; precamur
Omnes, & celsum cœli de culmine Jovam.
Devoti oramus; det vobis mitia fata,
Detq; ut Nestoreos ambo vivatis in annos,
Et tandem intretis sperata palatia cœli.

Hæc gratulabundus adjecit

ANDREAS A. PACCHALENIUS.

CArmina nunc equidem Tibi, mi praeceptor amande,
Pangere constitui, quævis quævis fausta precarer
Vestro conjugio, festumq; hoc concelebrarem;
Sed mihi CASTALIDUM non tincta est crena liquo-
Attamen, ut tenui venâ, crassiq; Minervâ, (re.
Pectore sic grator tibi leto & mente serenâ,
Am.

*Ambobusquè precor vobis felicia fata!
Hinc voveo ut PYLIOS ambo vivatis in annos,
Et tandem cœli valeatis visere templa.*

*Hæc utut tenui filo, sincero tamen
cordis affectu reliquit.*

BENJAMIN ANDREÆ
Pacchalenius.

Sceptra Venus toti gestat communia mundo,
Imperioquè premit juvenesq; senesq; potenti
Seu sint fœminei sexus, seu fortè virilis,
Persequitur cunctos mortales at tamèn æquè.
Sensit & illius, nuper FLORINUS amica
Tela, quibus vulnus Venus illi inflixit amarum,
Nemo quod sanare queat, nisi sortè Cythera
Succurrat læso pulchrâ comitante puellâ,
Vulnere sanato, mox parta quiesq; salusq;
Nam Venus hanc illi firmo tunc fœdere junxit:
Jussit & hos una sanctam traducere vitam,
Jam jussis parent, jamq; est Hymenæuseorum,
Jure igitur meritò cæptis nunc prospera quæq;
Optamus vestris: felices vivite multos
Annos! & tandem cœlesti in colle virete!

*Hæc quamvis Rudi Minervâ, animæ
tamen hilari apposuit.*

CAROLUS A. Pacchalenius,
Cens.

Conjugium faustum pangas nunc Clare Magister
Dum tibi conjungis sponsam castam atq̄ pudicam,
Blanda Venus mandat vanas deponere curas,
Castalides junctim cantant Tibi carmina leta.
Tu sociæ tepidis cingas sed colla lacertis.
Atq̄ diu, voveo vivas cum conjugē pulchra
Quæ faciât multa latum te prole parentem.
Felices Ambo vestros numerate nepotes,
Et tandem exactis ætatibus ardua cœli
Templa senes, Christi merito, conscendite sancto.

Non ut voluit aut debuit, sed ut potuit
tenui avena Honori nuptiarum ap-
plaudebit.

SIMON J. TOLPO, Aboënsis



#8
#7
#6